

*De Musica eiusq; origine
et proffantia*

Q. D. B. V.
C O N S V L
 ET
S E N A T V S
C I V I T A T I S
C A M E N T I E N S I S

Lecturis Salutem!



H.K.

N. 7.

Disciplinis & artibus scientiisque Divinum quid inesse Magno illi eruditorum Decori Dan. Georgio Morhofio visum fuit, id quod carptim breviterque perstrinxit demonstratumque dedit Polyhist. T. I. L. I. c. 12. p. m. 112. ss. quo duce alii de singulis singillatim tradere fatigere. Sic omnem, de eo, quod Divinum est in rebus naturalibus materiam, ex profundissimis Philosophia ac Philologiae fontibus Celebrissimus quondam Vittenbergensium & Theologiam, & Philosophiam Doctor Roeschelius binis dissertationibus, quarum altera inscribitur: Lanx Satura Divini in Macrocosmo, ferme exhaustus. Quod Divinum in morum doctrina universa Thorschmidius, alii alia exposuerunt. Hæc justa animi lance perpendens, Musicam Divinam appellare, quid vetet, non video, præfertim cum modo laudatum Morhofium l. c. p. 116. illius Divinum his verbis commendasse, legimus: Musica sonos moderatur, affectus incutit, incusos mulcit, animos, quo vult, rapit. Est sane in sonis aliquid Divinum, ut ad illorum contemplationem, mirabilem sane & mysteriis plenam, totius universi mensuram veteres Philosophi inierint; quos ubi numeris suis Poëta scite & recte illigaverit, pene ad orphica miracula patranda aptum dixeris. De Divino illo, quod in Musica est, præclare Jamblich. Lib. de Mysteriis Aegypt. scđt. 3. c. 9. philosophatur. conf. illustris l. G. Bergeri magnæ ornatisimæque eruditioñis & doctrinarum varietate viri admirandi Dissertt. Academ. XXII. p. 449. sq. Quo sensu vero, qua ratione, quove jure Divinam dicas, paullo distinctius edifferentes de eo, quod Divinum est in Musica videbimus. Ante autem nomen dispiendendum est, ut rem penitus comprehendamus, quam rei disquisitio instituatur. Evidem constat, proprie Divinum dici, quod ex Deo est, vel ad Deum pertinet, hinc etiam omne excellens, communemque conditionem rei cuiusdam insolito atque stupendo modo excedens sic vocatur, qua de causa veterum non pauci Divini nomine insigniti veniunt, quod in Pythagora, Platone, alias taceam, videre eit sed & Divinum id appellatur, quod Divinandi pollet, vel saltem, pollere creditur facultate, reliquas significaciones sicco, ut ajunt, pede, transire lubet, cum ad dictas fatis commode referri queant, nec ad nostrum institutum quadrare deinde patebit. Facile inde liquet, cur Divinum hoc crux sit, ad cuius explicationem quidem multi accesserunt, pauci tamen illud aut repe rerunt, aut recte explicuerunt; cum in sola nominis origine declaranda, aut varia vocis significacione recensenda occupati fuerint. Nos hac opera supersedentes Dannhaueri vestigia prememus, qui nobis, ut aspicio, rem omnem succincte, concinna tamen brevitate & solide describere videtur. Placet igitur, quoniam omnis disputatio de Divino Musicæ futura est, cum illo ante definire, quid sit Divinum. Divinum inquit, generatim acceptum, non tam ex usu vocis, quam origine id omne dicitur, quod est excellens, singulare, mirabile, inscrutabile, infvetum origine, quasi immediate a Deo proditum, atque ideo venerabile. Ipsum ante omnia Numen Divinum vocatur, & ab hoc quicquid majestatem Divinam redolet resonante. Hæc omnia an in Musicam convenient, nostri nunc est demonstrare. Musicam vel Musican

vero modo artem canendi, modo omnem doctrinam liberalē, modo poēsin circumspectis verborum scrutatoribus esse, in vulgus notum est. Nōs de eo, quod Divinum in Musica, dicturi, praecepit artem canendi intellectam volumus, quam peritiam faciendorum & canendorum mōdōrum definiunt, & referente Jul. Cæf. Scalig. Poëtic. Lib. I. cap. 2. p. m. 7. triplicem Musicam vetustiores statuunt, in Harmonia, quam voce constare dicebant, in aëre, quæ proficisceretur ab instrumentis, & in aqua. Alii in Harmonicam, Organicam, Crismaticam, dividunt. Boëthio tamen Lib. I. de Musica cap. 2. in Mundanam, Humanam & denique in Musicam vocum instrumentorumque partiri placet. Nobis præ primis de hac sermo est; istam enim in Cœlo, elementorum compage, & temporum varietate, v. Disp. Musigk de Mundo Harmonico Vitemb. hab. illam in harmonia animæ & corporis humani, consistere, præcipitur. Nam animam nostram, non aliter, atque illam generalem totius mundi animam, ex harmonicis numeris constare, sapientes viri cum Pythagora tradiderunt: unde homo parvus mundus appellatur. Vid. Cl. Ptol. Harmon. Libri. III.

Musicam autem ratione originis auctorisque Divinum quid circumferre, extra dubii aleam positum esse, quis negabit? utpote quæ pari prærogativa cum aliis disciplinis scientisque gaudet, auctoremque omnium artium parentem Spiritum S. habet, ac quodam providentia dono ab ipsa natura humano generi, quippe quod juxta effatum Apostoli Act. XVII. 29. Divinum, data est, quo se facilis ex tantis miseriis, laboribus atque ærumnis aliquo modo recaret reficiatque. Proinde Lutherus ille Megalander inter alias laudes Musicam donorum Divinorum excellentissimum, elegantissimum ac Theologiae proximum existimat, quam cacodæmon maxime aversatur atque abhorret. Colloq. Mens. f. 419. & Plato ille Divinus Musicam omne genus Deorum opus arbitratur, de cuius tamen inventione paganorum turba diversimode sentit: Plinius Amphiona repertorem facit. H.N.L. 7.c. 56. de quo Hor. Poët. v. 394. f. Dicitus & Amphion, Thebana conditor arcis, Saxa movere sono testudinis, & pree blanda Ducere quo veller.

Polybius Arcadibus acceptam Musicam refert, qui semper hujus artis studiosi fuerint, quod etiam Poetarum Princeps in Bucolicis innuit, Ecl. X. 3'. seq. ita ludens:

Cantabitis Arcades, inquit,

Montibus hæc vestris soli cautare periti
Arcades.

Quod ideo fortasse memoriae proditur, quia Pana Deum Arcadiæ fistulam invenisse, idem adstruit Ecl. 2. v. 32.

Pan primus calamos cera conjungere plures
Instituit.

Ut Mercurium, Apollinem, alios, quos inventores crepant, silentio præteream. Josephus Antiquit. Jud. L. I. c. 3. Jubalem Lamechi filium Musicam artem primum coluisse, tradit, quod etiam sacræ pandectæ docent Gen. IV. 21. Adeatur hic Jo. Petr. Erici Renatum e mysterio principium philologicum affirmantis: Jubalem Musices inventorem, vocales, jam diyino quodam instinctu inventas, harmonice disposuisse, sonorumque differentias notasse. Apud Græcos concentum Musicum Pythagoras hac ratione

invenisse, feritur audiens scilicet fabrorum ferrariorum malleos distincti ponderis distinctum quoque tonum inter cūdendum edere, differentias sonituum, illorumque consonum dissonumque tenorem judicabat, qua de re M. Sam. Grosseri *Einleitung zur Erudition* P. 2. Colloq. 5. § 10. p. 640. seqv. evolvatur. Sufficit autem hujus artis, tum Antiquitatem, tum Dignitatem Divinitatemque eam esse, ut *Image-*
nes *Auctor* sit, omnium in literis studiorum antiquissimam extitisse Musicam, & jam illis antiquis temporibus in tanta veneratione, tantoque studio fuisse, ut iidem Musici, & Vates, & Sapientes judicarentur, afferente M. Fab. Quintiliano Institt. Oratt. Lib. i. c. 17. Nec illis refragabor, qui originem hinc ad Angelorum officium, hinc ad naturalem hominum instinctum, hinc ad brutorum animantium exemplum, cum Wernsdorffio Disp. de Prudentia in cantionibus ecclesiasticis adhibenda, referunt, vel quorum sententia Musicæ in primis tria principia, mōrem, voluptatem atque Enthusiasmum vel afflatum fuisse divinum; siquidem hec omnia nihil aliud evincunt, quam Musicam insuetum origine & quasi immediate a Deo productum. Quæ cum ita sint, hallucinaretur, qui Musicæ Divini quid adesse inficias iret.

Rem ipsam, si progredimur, penitus pensisantes, deprehendemus, pari ratione, ut in Iingvis Divinum Celeberrimus Gymn. Zittav. Director Gottfried Polycarpus Müller in exeqv. Christiani Munchii 1726 demonstravit, de Musica dici posse, cum ipso sermone Musicam inesse Priscianus Cæfarensis, Diomedes, Aelius Donatus & Augustinus, & alii denique Grammatici ostendunt, teste summe Venerabili Wernsdorffo l. c. p. 6. Excellens sane, singulare, mirabile, inscrutabile quid in Musica persentiscimus: excellentis enim & singularis requirit vires ingenii, judicii, ordinem quoque, qui omnia jucundissimis concentibus quibusvis connectit, vid. *Neue Zeitungen von gelehrten Sachen*. Anno 1727. n. 3. p. 19. Anima quippe, divino quodam instinctu percita, Musicam meditatur, ut ope corporis mirabili modo aërem moveat ac moveatur exciteturque. conf. I. C. Seelig. de Subtilitate Exerc. 302. p. m. 901. seqv. quo cum Maria Dominum magnificet ac piis laudibus effera. Mirandum, quomodo divini isti Angelorum Spiritus hanc Divinam Musicam corporis expertes exercere possint, ut ex sacris literis fuse innotescit. Mirandum profecto, quomodo vox humana suavi quadam harmonia regitur, & per artem musicam dulci modulatione conformatur: ut pulmones, guttur, lingua, palatum, dentes, labra, quæ, si bene convenient, & naturæ dono claram atque suavem vocem efficiant, ars ipsa deinde naturam adjuvans, perfectum & Divinum facile Musicum reddant. Mirandum, quomodo bruta animantia, impetu quodam naturæ ducta, haec omnia imitantur. Mirandum, quomodo instrumenta vel tactu, vel pulsu, vel flatu modulatum & artificiosum concentum efficiant. Mirandum, quomodo verba, soni, numeri, intervalla, commutationes ac modulationes, ut ut dissonans et ipsius sint, tam belle consentiant. Mirandum denique, quod huic nemo inventus sit, qui haec, licet sensibus immisalataque mente reposuerit, rite percipere atque comprehendere potuerit, ut non immerito, artem

in

infinitam esse, interprete H. Corn. Agrippa de' incertitud. & Vanitate
Scientiarum c. 17. p. m. 89. dicant, nec ullo ingenio exauriri posse,
sed in dies illam pro cuiusque captu novos dare modulos. Divinum
omnino est, Musicam commune quid habere cum omnibus scientiis,
statibus & vitae conditionibus, sicut Matthesonius in aula Hofl. Slesv.
Chori musici magister P. I. des musicalischen Patrioten consideran-
dum dedit.

Et quid multis? versatur Musica circa Deum Optimum Maximum,
qua illum debito amore & timore amplectimur ac veneramur. Nam
apud omnes fere nationes Musica Deum celebrare moris est. Versatur
circa res Divinas, ut tota tota Divina sit maneatque. Faceant igitur
Musicæ hostes, qui cum Paulo Samosateno Divino inviderunt honori,
ut nullum Musicæ in sacris faciendis relinquenter locum, quæ senten-
tia perversa a Justino, illo Martyre, Basilio M. Chrysostomo, Ambro-
sio, aliis, qui musicæ vim ad ciendam augendamque cum voluptate
animi religionem commendarunt, explosa est. Evolvatur Casp. Cal-
vör. Rit. Eccles. P. 2 sect. V. passim, conf. Salom. van Till. de Po-
ësi & Musica Hebræorum. Siquidem modi svaves & graves velut a Nu-
mine quodam afflati, immane quantum ardorem devotionis exci-
tant, excitatum promovent, promotum conservant, id quod Mathe-
sonius citatus in Orchestra P. 2. c. 4. p. 39. testatur scribens: Man-
sieht es gnungsam aus denen in der Christlichen Kirche eingeführten schö-
nen Hymnis, Psalmen und andern Gesängen, was für Kraft ihre Com-
ponisten von oben herab gehabt, daß solche geistliche Melodien iederzeit
Trost, Freude, und Vergnügen erwecken und auch der allereinfältigste
Mensch bey ihrer Absingung eine sonderliche heilige Andacht bey sich ver-
spühet, so daß auch den Effect davon mancher ruchloser Sünder mit wäss-
erichten Augen empfindet. Quid? quod Musica Spiritum S. arcessat eo-
dem modo, quo malum fugat, quod in Elisæo 2. Reg. II. 5. & Saule.
1. Sam. XVI. videmus. Ideo Musica semper Divina quædam res habita-
fuit, ac jam inde a priscis temporibus perpetuo rebus sacris adhiberi,
solita est, ut jure meritoque tam vocum, quam instrumentorum Mu-
sicam juxta assertum Spiritus S. per Paulum Eph. V. 19. in Novo fe-
dere pariter, ut in Veteri retinere censeamus cum Dannhauer Dram.
S. p. m. 170. 177. 191. dum B. Lutheri iudicio verissimo quidem, is, qui
canit, bis orat. Imo Musicæ usus nec in beatitudine æterna cessaturus
est; canendo enim nos ipsos excitantes Deum laudabimus. In com-
muni quæque vita vis utilitasque Musicæ tanta est, ut undique Divinita-
tem suam spiret atque diffundat: namque hominum & corpus & ani-
mam singulari ratione tangit & ad se rapit, qua de re legi meretur
Mattheson c. l. ut immemores omnium terum his deliciis unice inhæ-
reant, totoque se dedant. Profitetur hoc ipsum Dnus Marestius in li-
bro, quem inscribit: Vergnigung des Gemüths e Gallico idiomate in
vernaculam nostram translatum atque Jenæ 1726. 8. excusum: ex
quo trans scribere liceat, quæ P. 1. Cap. 4. p. 238. leguntur: Ich bin
offt selbst über einem Stücke von der Musique, über die Zeichnung ei-
ner Landschaft, über einem Riß von der Bau-Kunst und Perspektiven

gesessen, und habe das beste Essen stehen lassen; ja ob ich schon Hungrig war, so konte mich doch Niemand von meiner Arbeit wegbringen. Denn ich fühlte den Hunger nicht, weil ich durch die Reizung der Kunst gar zu verpicht auf mein Werk war. in specie de Musica scribit p. 247. daß sie was natürliches und göttliches, und in ihrem unterschiedlichen Tonen unbegreiflich sey, ingleichen daß sie die Kraft habe alle Gemüths-Bewegungen zu erweichen, auch daß zwischen derselben und der Seele des Menschen eine besondre Übereinstimmung zu bemerker. conf. ausgerlesene Theologische Bibliothec. P. 16. n. 4. p. 362. Maximæ igitur vires in hac arte sunt, & ad movendos leniendosque affectus plurimum valet Musica: animos vel in perturbationes varias impellit, vel ad tranquillitatem reducit; ad arma provocat; hinc ituri in proelia, veteres canebant Germani, & Barditu, ut vocant, accendebant animos, futuraeque pugnae fortunam ipso cantu augurabantur. Tacit. Germ. c. 3. Dubio procul Muley Ismaël Rex Maroccanus haec considerans in votis habuit, ut post obitum Muhammed tympanis tibiisque ei obviam veniret, sique exceptum in paradisum, quem putat, deduceret, ut per relationes publicas anni præteriti edocti intelleximus. Singularem mirabilemque Musicæ Virtutem quis non putet? dum mens & corpus ægrotans per Musicam restituuntur. vid. Pippinii Disp. de Saule per Musicam curato Præf. Lœschero Vittenb. habita. Quanquam hoc passu cum Thomasio non faciam, existimanti, non nisi stolidis ægrotisque Musica opus esse. Entwurf der politischen Klugheit c. 8. § 64. p. 223. Maniam ex morsu tarantularum aliasque morbos Musicam curare atque fugare Missionis docet, in der Reise-Beschreibung durch Italien p. 10. conf. Thom. Garzonii Theatr. Vniv. c. 42. p. 498. & Morhofii Disp. de Scypho vitreo per certum humanæ vocis sonum fracto. Videmus itaque Musicen, non minus apud veteres, quam recentiores, miraculo-
so quodam modo innotuisse; quanquam non negandum, modernam immane quantum a veteri differre, non tamen illi derogandum, ac si illius miracula nil, nisi exaggerationes essent, ut Perrottius in Tr. de Musica Veterum statuit. conf. Neue Zeitungen von gelchrten Sachen. 1728. p. 201. Tanta igitur vereque divina effecta Musicæ inesse Veteres cognoverunt, ut nullus mortalium status, nulla ætatis conditio, nullum vitae genus sit, cui illa ipsa non usui esse possit. Sic Pythagorici, cum vesperi cubitum ire statuerent, illa utebantur, ut lenis & quietus sibi somnus irrepereret: Eadem ratione matutino tempore surgentes electo somni stuporem mentisque caliginem ejiciebant. Nec sine causa Ludovicus XIV. Rex Galliæ A. 1669. Parisiis regiam academiam Musicam erigendi concessit potestatem, prout Menestrierius de Dram. Musicis Veterum & hodiernis memoria prodidit. conf. Acta Erud. A. 1682 p. 230. Illud autem permirum esse videtur, quod Plato Lib. 4. de Republ. tantam vim in Musica esse censem, ut Musicis cantibus immutatis mutari civitatum status existimet. v. Cypriani Disp. de propagacione hæresium per Cantilenas Cap. i. & Cicero L. 2. de Leg. c. 15. Nihil, ait, tam facile in animos teneros atque molles influit, quam varii canendi soni, quorum, vix dici potest, quanta sit vis in utramque partem

tem; namque & incitat languentes & languefacit excitatos, & tum remittit animos, tum contrahit. Sufficit autem Musican Deum, Angelos, homines, bruta, inanimata quoque, si cum Poëtis loqui fas est, faxa & similia mirabiliter rapere, quoquo velimus, ut Plinii illud de Periclis oratione ex Aristophane: & magnifica & excelsa tonat, fulgurat, omnia denique perturbat ac miscet. Lib.i. ep. 20. hic non male faciat.

Quæ omnia declarant omnium gentium consensu Musicam artem præstantissimam sanctissimam Divinamque fuisse semper existimatam; ut unusquisque illam amplectatur, necesse sit. Divinarum igitur literarum operam navans, Rerum publicarum gubernacula adspiciens, occultarum rerum naturalium virtutum sedulus indagator, liberalium artium studiosus, miles denique & ruricola hanc fecerunt colantque, qui ea non delectatur, olim rudis & imperitus judicatus est; sic Themistocles cum lyram in convivio recusaret, habitus est indotior. Cic. I. i. Tusc. Præstantes vero Musici tanto honore sunt maestati, ut quasi Divinos quosdam homines susperirent alii, cuius rei testimonium præter sacrarum rerum scriptores profani largam exemplorum messem nobis exposuerunt. Sed dicendis compendia facientes abrum-pamus, cum nec instituti ratio permittit, nec chartæ spatium sufficit, Divinum hoc inquirere & explicare. Nodo isti gordio solvendo opus erat gladio Alexandri; has difficultates vero enodandas non quidem gladio, sed tamen ingenio Divino opus erit.

Quis autem, rebus sic comparatis, studio Musicæ non teneretur? cui non in amore & deliciis illa ipsa esset: quis mentis corporisque aures non arrigeret? quis non omnem moveret lapidem, ad intima illius penetralia pervenire? Siquidem unicuique unaquaque in re maximo est usui atque utilitati. v. Hier. Cardani de utilitate ex adversis capienda Lib. 3. c. 2. p. 345. Namque de Deo est, & is ipse illam sartam tectamque habebit, in se suaque natura tota tota est desiderabilis amabilisque & dulcedine sua omnia capit, mirabilia præstat, laxat animum, quem curæ intenderunt, conciliat nobis Deum, angelos, homines, bruta quoque. O nos felices, si bona nostra novissemus! Adeste igitur, sanctioribus Muisis sacrati ac toti Musicæ vos date, verum,

Procul o procul este profani!

Conclamat Vates, totoque absistite luco, Virg. Aen. VI. 259.

Divina Musicæ Diviniori animo suscipienda. Non quidem opus est invocare Iohannem Baptistam, qui canentium in cœnobiis Patronus creditur &, quum in sacris ejus nomen vox clamantis est, hymno isto A. 1022, invento ravim auferendi imploratur.

VT queant laxis REsonare fibris
Mira gestorum FAmuli tuorum
SoLve polluti LABii reatum,
Sancte Iohannes

Qui sex illas syllabas Vt, Re, Mi, Fa, Sol, La, quarum usus olim loco clavium, quasjam appellant, A. B. C. D. E. F. G. Musices magistris fuit, ingeniose suppeditat. vid. Disp. I. A. Schmidii de Cantoribus Ecclesiæ V. & N. T. p. 36. it. Pexenfelderi Apparatus Eruditioonis c. 59. p. 347.

opus

opus tamen est, ut honorata voce cum Iohanne Deum laudemus atque honoremus. Omnes animi vires, omnes corporis nervos atque laceratos ad id intendite, haec rite peragenda omni studio, cura, diligentia providere debetis, ut toto pectori tam præstantem ac Diuinam artem complectamini. Antesignanos Reges, Principes illorumque amicos & omnis eruditioris ac dignitatis celebritate & laude viros clarissimos habetis. vid. Textoris officina p. 852. sq. Th. Garzonii Theatrum universale. c. 32. p. 498. Bernhardi curieuse Historie der Gelehrten L. 3. S. 2. c. 4. p. 265. Nobis vel solum Lutherum nominasse sit fatis, qui Divinis cantionibus Diviniori spiritu compositis modulos adjecit v. Lunckeri Vita Lutheri In Nummis & Iconibus p. 58. & 190. illumque testudine scienter cecinisse, Mathesius in vita Lutheri p. 135. b. testis omni exceptione major est.

Sed enim vero Dux & auctor opus est vobis, qui viam sternat & monstrat gressusque dirigat, & portas hujus Scientiæ pandat atque ad interiora usque perducat. Hunc ut consequamini post inopinatum Cantoris & Praeceptoris Scholæ Viri Clarissimi Domini GOETLO-BII BERTRAMI, CAMENTIENSIS obitum, quem præmaturum omnino maxime dolemus, damnum resarcendi Divinum consilium & auxilium implorando maximopere annisi sumus, ut Scholæ, Ecclesiæ, Reipublicæ, quarum plurimum interest, optime prospiciamus. Hinc Divinis procul dubio auspiciis factum est, ut provida cura nostra quam Deo, Ecclesiæ, Scholæ, Reipublicæ debemus unanimi suffragiorum consensu Clarissimus Vir Dominus IOHANNES HENRICUS GOESSELIUS per septem annos Eropoli Publici Sacriique concentus Magister meritisim celeberrimusque ad locum illum explendum Cantor & Chori Musici Director ac Scholæ Praeceptor designatus constitutus que sit, de cuius accessu eo magis latemur, quo certior nobis spes est illum omni Pietatis, Scientiæ, Dexteritatis Industriæ & Fidelitatis laude ornatisimum sedis præstiturum, ut Plurimum Reverendus Vir, Dominus Theodorus Küchenmeister Pastor Liebstadiensis longe Meritisimus literis commendatitiis abiturientem prædicans prosecutus, nobisque de illo gratulatus est. Nec conceptam Spem frustrabitur, cum specimina eximia jam jam dederit quam plurima. Sperant igitur Patres Conscripti, sperat Cœtus Scholasticus, sperat denique tota Camentiensis Civitas optima quæquæ. Nec ullum dubium est, illum enixe operam navatum, ut Divinum illud Musices concio Divina experiatur sentiatque, illoque innutrita Deum semper colat atque honoret. Introducendus itaque est more Majorum ritu solenni, quod ut crastino die hora IX. matutina in Auditorio Inferiori fiat feliciter, faxit Deus Ter Optimus Terque Maximus! Quivis Bonorum vero præsentia sua Solennia haec cohonestabit ac summum Numen, quod omnia moderatur, venerabitur, ut Ecclesiæ, ut Curiæ, ut Scholæ, ut denique toti Civitati semper propitiatus atque Benignus gratia & clementia sua Divina semper ad esse velit.

P. P. ipsi Calendis April. A. R. S. c/o lo ccxxviii.

C A M E N T I I .

Charactere Iohannis Gottlobii Hohlfeldii.

*De Musica eiusq; origine
et proffectu*

Q. D. B. V.

ONSVL

ET

NATVS

CIVITATIS

ENTIENSIS

Lecturis Salutem!



Farbkarte #13

